



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

189. An licite absolvatur quis ab exco[m]municatione invitus, licet non
velit desistere à contumacia, & à peccato propter quod fuit
excommunicatus? Et an hoc intelligatur tantum de absolutione ab ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Ref. CLXXXIX. &c. 109

lutio sit collata ab habente potestatem ordinariam? Ex p. tract. 10. & Misc. 1. Ref. 12.

Negativè responderet Coninch. de Sacramentis, disputatione octava, dub. 17. numero 97. Bonacina de Sacramento Pœnitentie, disputat. prima, quæst. tertia, punct. sexto, numero quarto. Leo de Iubileo, parte secunda, numero 200. Avila ubi infra, & alij.

Quia non est credendum Confessarium velle absolvere à censura non expressa, à qua etiam si esset expressa non potest licitè absolvere, nisi præmissa satisfactione reali.

2. Hæc opinio est satis probabilis, sed affirmativam probabilem etiam esse puto. Et ratio est, quia stante hac oblivione inculpabili, nullum adest impedimentum, neque ex parte Confessarii, neque ex parte Pœnitentis, quominus possit & validè, & licitè absolvi, cum sufficiat efficax propositum satisfaciendi, quando impossibilis est realis satisfactio. Sed quando quis inculpabiliter ignorat, seu obliviscitur se teneri ad satisfaciendum, verè pro eo tempore satisfactio hæc dici potest impossibilis. Ergo pro eo tempore sufficit propositum restituendi. Ergo stante hoc proposito dicendum erit pœnitens absolutus. Et hanc sententiam tanquam probabilem admittunt etiam Doctores contrarii; & idèò Avila de Cens. parte secunda, capite septimo, disputatione tertia, dub. 9. conclusionem secundam, sic asserit. Ex secunda conclusione inferunt nonnulli juniores, quòd si aliquis est excommunicatus excommunicatione exigente satisfactionem partem, & oblitus est confiteri peccatum illud, propter quod incurrit excommunicationem, & confessus est Confessori habenti facultatem ad absolvendum à tali excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegij per absolutionem generalem, quæ datur ad cautelam, verè manet absolutus à tali excommunicatione. Verumtamen quamvis hoc sit probabile, oppositum iudicio probabilius; quia non est præsumendum, Confessorem habere intentionem absolvendi à tali excommunicatione, quæ si à pœnitente manifestaretur, & absolveret ab ea sine satisfactione, vel cautione, peccaret mortaliter. Ita ille, cui ego libenter adhaereo.

3. Notandum est hic obiter id quod etiam alibi adnotavi pœnitentem in confessione etiam extra Iubileum factam, si nullam faciat mentionem censuratum, remanere absolutum ab illis, quarum sit inculpabiliter oblitus. Etiam si superior Confessarius non habuisset expressam intentionem ab iis absolvendi; quia absolutio illa impenditur in ordine ad absolutionem sacramentalem, ad quam necessaria est absolutio ab omnibus censuris etiam reservatis. Sed difficultas est an talis pœnitens remaneat absolutus ab iis, quas culpabiliter non expresserit quoties absolutio sit collata ab habente potestatem ordinariam? Et ratio est, quia absolutio ab excommunicatione pendet à potestate, & intentione absolventis. Ergò si absolventis intentio est ab omnibus absolvendi, tenebit absolutio, etiam si aliqua culpabiliter non fuerit expressa. Et hanc sententiam tenet etiam Angelus Bossius de Iubileo, sectione prima, cap. 18. numero vigesimo primo.

RESOL. CLXXXIX.

An licitè quis absolvatur ab excommunicatione irritus, licet non velit desistere à contumacia, & à peccato, per quod fuit excommunicatus?
Et an hoc intelligatur tantum de absolutione ab homine non autem de absolutione à jure?
Tom. V.

Et an per Bullam Cruciatæ, Iubileum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis non possit absolvi irritus ab excommunicatione, secus si privilegium sit concessum in favorem Confessarii, ut si sit Religiosus, &c. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 10.

Validam esse talem absolutionem non est dubium; difficultas est an sit licita? Multi Iuristæ putant esse licitam, ut latè refert & defendit Vgolinus tabula 1. cap. 19. §. 2. num. 3. P. Suarez docet, primò si sit ab homine, posse ab eo licitè tolli, iustis de causis, & observatis prudenter circumstantiis, & hoc non est contra aliquod jus divinum, aut humanum. Secundò si sit lata à jure, dicit quòd erit observanda forma assignata, si sit jure assignata, secus si prudenter rem esse considerandam, ut fiat sine peccato, S. Thom. quidem in 4. dist. in l. 18. quæst. 2. art. 8. absolute dixit posse discretè auferri, si quis videat salutem illius expedire, in quem lata est. Et P. Vasquez dub. 18. num. 14. breviter dixit illum non esse absolvendum, nisi majus malum sequeretur, & mihi videtur, prudenter consideratis circumstantiis, posse licitè absolvi aliquem ab excommunicatione irritum. Et hæc omnia docet Turrian. de censuris lib. 2. disp. 24. dub. 7. sed circa præsentem questionem ne deferat videre Philippum Fabrum de cens. in 4. sentent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 8. n. 261. ubi observat ex multis licere absolvere irritum ab excommunicatione, licet non velit desistere à contumacia, & à peccato, propter quod fuit excommunicatus, & hoc quando judex cognoscens quòd excommunicatio non prodest, sed obest, & consequenter non sit medicina, sed venenum, tunc enim si judex cognoscat prudenter, quòd si absolvatur etiam irritus & contumax, hoc proderit ipsi excommunicato, licet poterit illum absolvere; sed hoc dicunt de absolutione ab homine, ac non de absolutione à jure. Ab hac enim dicunt nunquam licere absolvere, nisi petat absolutionem, & cesset à peccato. Tamen hoc etiam licere de excommunicatione à jure, tenent recentiores, quando in jure non cavetur, ut ullo modo absolvatur, nisi satisfaciatur, &c. quia tunc videtur facultas tota commissa prudenti iudicio judicis, ideo si judex expedire poterit licitè ab illa absolvere, si adsint tres conditiones. Prima quòd hoc non sit in præjudicium tertij, quia hic esset actus contra justitiam. Secunda, dummodo non ad sit scandalum, nec contemptus censuræ. Tertia, quòd sint sufficientia signa, quòd talis censura potius detrimentum afferat, quàm utilitatem, & quòd procedendo via suaviori obedientiam obtinebit; sunt enim quidam, qui magis moventur suavi admonitione, quàm rigorosa flagellatione.

2. Nota etiam quòd conclusio intelligitur de absolvente per potestatem ordinariam, & absolutam, independentem à voluntate excommunicati, unde per Bullam Cruciatæ, vel Iubileum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis, non potest absolvi irritus. Ita P. Henriquez, & aliqui Magistri; nam usus privilegij pendet ex voluntate utentis illo, unde si non vult uti illo, non habebit Confessarius facultatem absolvendi virtute illius. Dico concessum in favorem pœnitentis, nam si sit concessum in favorem Confessarii, ut si sit Religiosus, qui absoluit virtute privilegij concessi ipsi Religioni, credo quòd absolutio erit valida.

RESOL. CXC.

An absolutio ab excommunicatione data sub conditione
K in